




Jahresprogramm

des

Herzoglich Nassauischen Gymnasiums

zu

Hadamar,

als Einladung zur öffentlichen Prüfung wie zur Entlassung der Abiturienten

am 13. und 14. März 1856.

Inhalt:



Weilburg.

Gedruckt bei L. E. Lanz.

Quum omnes nobis singulari quadam atque eximia laude digni videantur, qui de hominibus et suae et posterae aetatis meriti sunt, sive in rebus publicis et ecclesiasticis constituendis, regendis, administrandis, sive in legibus scribendis, sive in honestis artibus, quibus communis vitae dignitas splendorque maxime cernitur, excolendis, sive in scholis aliisque politioris humanitatis pietatisque officinis aperiendis operae plurimum laborisque consumserunt; tum ii praecipue, qui primi, veluti majore dei afflatu perculsi, ceteris omnibus posthabitis, religione christiana in majoribus nostris pervulgata artibusque ingenuis in patriam introductis ingenitam atque inveteratam barbariem a gente nostra depellere conati sunt. Qua de causa seculis vertentibus illorum virorum memoriam renovamus, et quae ab iis condita sunt, feliciter conservata ac laete aucta gaudemus. Ita superiore anno universa Germania, imprimis ecclesiae Fuldensis et Mogontina quam sanctissime memoriam instauraverunt magni nostri apostoli, qui undecim seculis abhinc Germanos discussis errorum, quibus involuti erant, tenebris, ad verae ac salutaris nostrae religionis lucem perduxit, meliorum iis morum vias tradidit, quumque nationes nostras communi ecclesiae vinculo conjunxit, regni germanici postea potentissimi florentissimique prima ac solida jecit fundamenta. Diebus illis sollennibus certe nostratium, qui originum nostrarum non plane ignari, patriae amantes, divinae religionis veritate imbuti sunt, nemo fuit, quin summi martyris, cui plus quam multis regum atque imperatorum nos debere recte dixerunt praestantissimi rerum scriptores, merita recordaretur ac Deo benignissimo singularibus verbis pro beneficiis per Bonifacium in nos collatis ageret gratias.

Iterum hodie nostrae est pietatis, alterius viri vertente jam decimo ab ejus morte seculo recolere memoriam, qui illius omni laude praestantis apostoli dignus successor, alterum ecclesiae germanicae columen, opus feliciter inchoatum egregie continuavit ac perfecit,

Magnentii Hrabani Mauri.

Nam, sicut ille majores ad ecclesiam christianam adduxit veraeque virtutis amorem iis impertivit, hic inter eosdem lucem doctrinarum et sacrarum et liberalium accendit ac dissipavit, primusque de erudiendis et educandis adolescentibus ita bene promeruit, ut a suis princeps hominum doctorum summis laudibus praedicaretur, omnibus honoribus afficeretur, a gratis posteris rei scholasticae non immerito judicaretur parens atque fundator. Quocirca quum mihi successionis lege programmatis scribendi munus esset demandatum, ad sacra hujus primi Germaniae praeceptoris secularia pie celebranda vitae ejus studiorumque effingere imaginem non alienum existimavi, praesertim quum dignissimus sit, qui adolescentibus literarum studiosis tanquam praecipuum ac singulare exemplar morum integritatis, impigritatis, doctrinae proponatur.

Quid enim vobis, adolescentes, utilius esse potest, quam viri non solum ingenio et eruditione sed etiam vita et moribus praestantis imaginem intueri, qui exemplo vobis esse possit, quod sequamini, qui vos literarum incendat amore, qui non solum ad virtutem pietatemque, sed etiam ad laborem vos excitet, sine quo magna non potestis consequi? Priusquam vero vitam ejus exponamus, jam videamus, qui illo seculo in Europa occidentali literarum fuerit status, quo facilius, quibus in rebus Hrabanus agere coeperit, judicare possimus.

Incidit aetas ejus in tempora Caroli Magni, quibus omnium rerum conditio, quae usque eo in Europa occidentali fuerant, non solum publicarum domi militiaeque, sed artium quoque ac literarum prorsus est commutata. Regnum enim Francorum a primis Carolingis adeo armorum vi amplificatum et auctum, ut maximam imperii romani occidentalis partem comprehenderet, primum inter regna post Germanorum migrationes condita obtinebat locum, ad quem, praecipue ex quo tempore Carolus, alter Augustus, cujus famam nullus aetatis mediae heroum aequavit, summam veteris imperii romani, vel potius novam imperatorum adeptus erat potestatem, omnes fere res se converterent. Hunc vero principatum ac singularem auctoritatem Franci eorumque reges vel maxime debuerunt ecclesiae christianae ejusque summis rectoribus, quibuscum intimam coierant societatem, ita ut felicissima fieret inter sacerdotium et imperium concordia. Neque vero tuendam solum ac defendendam sibi esse existimavit Carolus ecclesiam, cujus „devotum defensorem humilemque adjutorem“ se appellabat, maximamque, ut populus religionem susciperet eique firmo ac diuturno adjungeretur vinculo, operam dedit, sed etiam divina vi impulsus ad christianam veritatem pervulgandam omnem curam diligentiamque contulit; qua quidem in re minus privato suo commodo servivit, quam posteriorum quidam imperatorum, sed dei honorem ecclesiaeque utilitatem respexit. Itaque in diversis regionibus, imprimis in Germania septentrionali nuper regno adjunctis sedes episcoporum constitutae, templa et sacraria exstructa atque ornata, monasteria sunt condita, quorum habitatores s. Benedicti Nursiensis regulam sequentes primos humanitatis pietatisque igniculos ac semina in rudium hominum animis spargebant. Praeterea, id quod illi religionis studio artissime cohaeret, regis auspiciis artium ac literarum studia, quae iniquitate temporum, si non plane oppressa et sepulta, tamen quasi densissimis ignorantiae tenebris obruta jacuerant, revivescere laetiusque efflorescere coeperunt. Exstiterunt brevi et in coenobiis et in sedibus episcoporum scholae, quibus viri tam pietate praestantes quam doctrina ad illud tempus satis instructi praeficiebantur. „Carolus ipse,“ inquit Einhardus, „non patris tantum sermone contentus etiam peregrinis linguis ediscendis operam impendit, in quibus latinam ita didicit, ut aeque illa ac patria lingua orare sit solitus; graecam vero melius intelligere, quam pronuntiare poterat. Artes liberales studiosissime coluit earumque doctores plurimum veneratus magnis adficiebat honoribus.“ Egregium sane exemplum, quo omnium Francorum studium incenderetur, et mirandus discendi ardor, praesertim si reputemus, quot quantisque curis publicis rex distineretur!

Ad opus, quod sibi proposuerat, perficiendum in domum suam Aquisgranensem, quae erat „regni sedes principalis“, doctissimos quosque suae aetatis homines ex aliis terris, Italia maxime et Britannia, in qua insula religio christiana optima erat conditione eique conjunctum literarum studium, cujus florem in Beda venerabili admiramur, arcessivit suosque reddidit, qui sibi adessent et qui, quocunque modo possent, eruditionem universam singulasque disciplinas adjuvarent humanitatisque semina longe lateque dispergerent atque ad alios propagarent. Ex Italia vocavit Petrum Pisanum, Paulum Wanefridi filium, monachum Casinensem, utrumque varia eruditione excellentem docendique peritum, Paulinum, postea patriarcham Aquilejensem, Theodulfum, postea episcopum Aurelianensem; ex Britannia Alcuinum, discipulum et magistrum celeberrimae scholae Eboracensis, seculo octavo Egberto et Aelberto praeceptoribus et archiepiscopis florentis: qui quum anno 780 scholae palatinae praefectus esset, prae ceteris de literarum studiis inter rudes Francos excitandis optime est meritus. Quorum consilio habito rem propositam aggressus regni episcopos et abbates

literis, quas dicunt, encyclicis vel generalibus anno 787, quarum exemplum ad Baugulfum, abbatem Fuldensem, missum adhuc extat, tanquam ad bellum contra inscientiam ac mores corruptos gerendum evocavit. Summi vero momenti est praeceptu ride scholis graecis et latinis in ecclesia Osnabrugensi instituendis anno 804, quo in Saxonibus graeca quasi condidit studia. Quam arduum fuerit opus illud, quod Carolus ejusque amici susceperant, hinc intelligi potest, quod iis prima cura in comparandis, qui ad docendum discendumque necessarii censebantur, libris iisque corrigendis fuit collocanda. Libri enim universe rari erant et pretiosi; emendate vero descripti vix reperiebantur. Jussu igitur regis et tam praestantium virorum auctoritate moti episcopi et abbates in libris colligendis et describendis scholisque condendis omnem navarunt operam. Alius alium aemulabatur. Inter scholas vero palatina et tum Turonensis eximia florebant auctoritate. In illa praeter Alcuinum, qui dux et auctor erat rei scholasticae, Wizo, Fredegisus, Sigulfus, qui cum illo Britanniam reliquerant atque omnium itinerum comites fuerant, Theodulfus, Laidradus, alii docebant. Ex quorum institutione et disciplina multi clari viri exierunt, qui postea eruditionis laude excellentes summis muneribus sunt praepositi, ut Arno, primus archiepiscopus Salisburgensis, Angilbertus primicerius, a pueris in domo regis educatus, Adalhardus et Wala fratres, nepotes Caroli Martelli, abbates postea Corbejenses, Riculfus, archiepiscopus Mogontinus, Richbodus, Trevirensis, Einhardus: qui quum vitae usu ac consuetudine tum communi artium literarumque studio cum magistris conjuncti academiae Carolinae erant socii. Gubernabat vero ac moderabatur omnium studia Alcuinus; quin etiam quum anno 796 regia domo relicta in monasterium s. Martini Turonensis secessisset, illius literariae societatis socius quidam extraneus mansit, quorum plane ac si Aquisgrani adesset rex per literas de studiis deliberare pergebat. Schola Turonensis, Alcuino rectore brevi celeberrima literarum sedes facta, palatinae fama atque existimatione praestitit.

His igitur aliisque institutis lux novae vitae Francis videbatur exorta. Sed quantopere Carolus res et publicas et ecclesiasticas constituere et ordinare studuit, dolendum erat, quod successores ingenio, prudentia, virtute inferiores habebat. Gravissima ac turbulentissima tempora post mortem ejus in regnum ingruerunt, quibus magna ejus opera subverti viderentur. Ex bellis intestinis, quae Ludovicus imperator cum filiis, filii inter se et cum regni principibus gerebant, morum depravatio et perversio, contemptus legum, religionis, sucerdotum, officiorum neglectus, rapinae, sacrilegia, alia mala emanarunt; neque fieri poterat, quin studiorum ardor in multis regni partibus paene totus exstingueretur. Ita factum est, ut musae prae armorum strepitu, quo ubique in Francia occidentali circumstrepebantur hominum aures, in Franciam orientalem, i. e. Germaniam confugerent, in cujus silvis novam iis sedem ac domicilium paravit ille vir, cujus vitam enarraturus sum.

Sicut olim septem Graeciae oppida Homerum vindicarunt suum, ita tres gentes, Britanni, Scoti, Germani atque duo oppida, Fulda et Mogontiacum Hrabanum suum esse contenderunt. Ipse vero in epitaphio, quod, antequam moreretur, sibi composuit, se Mogontiaci natum baptismoque impertitum esse dixit atque alio loco se Francum genere appellavit. Natus est ibi circa annum 776, patre, si J. Trithemio fidem habemus, Rudhardo, viro nobili ac divite, qui complures annos sub signis regum Francorum militasse dicitur, matre Adelgunde, honestissima muliere, quae filium ab infantia diligentissime atque ad religionis christianae praecepta educavit. Nomen suum in prooemio, quod libris de laudibus s. crucis affixit, indicavit vel potius significavit plenum. Ibi enim leguntur vocabula: M a g n e n t i u s

Hrabanus Maurus hoc opus fecit, quae ex singulis literis, quibus sena alia in quoque versu interposita sunt, formantur. Inde jam sequi videtur, illum Magnentios romanos, quorum gens ad Rheni ripas late diffusa erat, attigisse cognatione, nisi forte Magnentii nomen praenomen tantum fuisse sumimus, quia ille ipse Hrabani nomini praeposuerit. Hrabani (i. e. Rabe) autem nomen familiae fuisse arbitror, quod nomen adhuc in nostra regione multae familiae possident. Cognomen Mauri sibi ab Alcunio magistro impositum esse ipse dixit. Novem circiter annos natus a parentibus more illius aetatis „puer oblatus“ in monasterium Fuldense deductus monachisque, sepulcri s. Bonifacii custodibus, — „ubi idem gloriosus martyr corpore requiescit“ — instituendus traditus est. Eo tempore praeerat monasterio Baugulfus, qui anno 780 post mortem Sturmii, „primi patris ac fundatoris“ abbatis munus susceperat. Quo duce atque adjutore puer studiis operam dare coepit. Eorum, qui in eadem institutione formabantur, complures pariter atque ille postea ad summas ecclesiae dignitates provecti sunt, ut Baturicus, postea episcopus Ratisponensis, Hatto, abbas Fuldensis, Brun, abbas Hersfeldensis, Freculfus, episcopus Lexoviensis, Haymo, episcopus Halberstadiensis, quos ut eadem in schola fortuna pueros conjunxit, ita studiorum consensus consociatissima voluntate viros semper retinuit. Alter alterius studia fovebat. Et quid in animos puerorum et adolescentium majorem vim habere poterat, quam continens piorum et gravium hominum convictus, quorum sermo, dignitas, auctoritas eos incitabat, incendebat, a voluptatum nugarumque vanarum illecebris, quibus teneri necdum consilio ac ratione firmati animi facillime possunt, removebat? Neque aliud quidquam magni faciebant, quam quod rerum divinarum cognitionem, in qua comparanda tota eorum vita versabatur, augere posset. Hrabanus quidem tantos effecit progressus, ut magistros suos, etiamsi non superaret, tamen aequipararet. Verum, quamquam schola a monasterio condito bona excellebat existimatione, monachi discipulos pro facultate erudire studebant magnamque in libris describendis industriam ponebant, tamen artium studia nondum Fuldae in eadem, qua postea, erant conditione. Itaque quum anno 801 a Baugulfo diaconus ordinatus esset, supplex a Ratgario, illius successore, ut ad Alcuinum proficisceretur, veniam petiit. Abbas, qui eximium in illo ingenium elucere videret, precibus ejus indulsit, ad Alcuinum, cujus institutione tum etiam alius monachus Fuldensis, Samuelis nomine, postea episcopus Wormatiensis, utebatur, misit, ut liberales artes disceret, atque postero tempore sacris literis aliaque variae doctrinae scientia instructus scholae Fuldensi praefici posset. Diu apud Alcuinum etsi non commoratus est, brevi tamen discipulus cum magistro, cui se totum dedebat, tanta amicitia ac familiaritate est conjunctus, quantam non nisi sanctissimarum rerum et optimae voluntatis communio in hominibus efficere potest, ususque tanti viri ad incendendum Hrabani studium, ut summa spectaret, contulit plurimum. Intima eorum amicitia praecipue intelligitur ex epistolarum commercio, quod inter eos usque ad mortem Alcuini anno 804 permanebat.

Hrabanus quum magnam eruditionis varietatem et copiam Turonis sibi comparasset, Fuldam reversus ab abbate scholasticus vel magister scholae praefectus est, quo in munere a Samuele, condiscipulo et amico, adjuvabatur. Praeter illum duodecim ex monachis electi, qui seniores appellabantur, Hrabani praecepta sequentes, adolescentes erudiebant; ille ipse uni abbati obediebat. In omnibus rebus magistrum suum sequebatur et, ut J. Trithemius memoriae tradidit, „eum quoque docendi modum, quem ab Albino didicerat, etiam tenere apud Fuldenses monachos inviolabilem jubetur.“

Quae disciplinae in schola palatina et Turonensi traditae erant, eaedem in Fuldensi monasterio docebantur: grammatica, rhetorica, dialectica, arithmetica, geometria, musica, astronomia, quae ex tempore s. Augustini, summi illius theologi, nomine septem liberalium artium comprehensae per aetatem mediam quasi gradus erant, quibus ad veritatem doctrinae christianae cognoscendam perveniebant. Alcuinus eas in ethicam, physicam, theologiam distribuit, quarum prima grammaticam, rhetoricam, dialecticam, altera arithmeticam, geometriam, musicam, astronomiam complecteretur: utraque theologiae, quae divinae sapientiae thesauros hominibus recluderet, usui esse deberet. Quare Ermenricus, monachus Augiensis, liberales artes „vestem septemplicem, quam sophia sibi suis manibus texuerit“, appellat, Alcuinus eas quasi septem, quibus sapientia confirmetur, columnas praedicat.

Primum inter septem artes obtinebat locum grammatica, cui jam s. Augustinus „paene divinam vim“ attribuerat. Erat enim fundamentum ceterorum studiorum, non summa quidem artium, sed maxime omnium necessaria. Complectebatur autem a quarto post Christum seculo plura, quam quae et prius huic voci subjecta sunt et hodie subjici solent. Ante enim seculum quartum grammaticum vel literatorem eum appellabant, qui de legendo, scribendo, ratiocinando praecipiebat; quae res ab illo seculo a ludi magistris tradebantur; grammatici vero inde non solum literarum elementis puerorum animos imbuebant, verum etiam eundem, quem hodie philologi, obtinebant locum, ut in antiquarum literarum studiis versarentur, pueros et adolescentes erudirent, veteres scriptores, imprimis poetas explicarent, quaeque alia hujus muneris sunt officia. Qua de causa Hrabanus: „Grammatica“, inquit, „est scientia interpretandi poetas atque historicos et recte scribendi loquendi ratio.“ Linguam vero, cujus elementis pueri instituebantur, fuisse latinam nemo est, qui ignoret. Quae quum et in Gallia et in ceteris Europae occidentalis terris, quae antea Romanorum fuerant, viveret ac vigeret, usus ejus minus veterum scriptorum lectione comparabatur, quam per veteres incolas, in quorum ore paulatim in novum linguae genus transibat, germanis tradebatur. Praeterea illis seculis erat vinculum, quod omnes homines eruditos conjungebat: non solum in conciliis episcoporum principumque, sed omnibus in rebus et sacris et publicis sermone utebantur latino eumque, ut necessitas ferebat, patrii instar rebus ab antiquorum hominum sentiendi et cogitandi ratione alienis accommodari atque immutari posse putabant, ita ut quotidiano usu novam prorsus indueret formam. Quare grammaticae tractandae rationem longe diversam a nostra fuisse necesse est, et libri grammatici, quos Alcuinus, Hrabanus, alii in scholae usum ediderunt, verba tantum eorumque formas ac declinationes et singulas elocutiones continent, quae memoriae mandarentur; satis autem idoneam literarum latinarum scientiam pueri, qui more Romanorum plerumque a primis aetatis temporibus scholae tradebantur, assiduo usu consequebantur, eadem fere ratione, qua hodie pueri a francogallicis magistris instituti gallice loqui discant. In praeceptore igitur uno posita erant omnia. Institutioni grammaticae per aetatem mediam fundamenta erant libri veterum grammaticorum: Prisciani, Donati, Valerii, Probi, Maximi, Victorini, ex quibus Alcuinus, Hrabanus excerpserunt suos. Is in libro suo, quem „Excerptionem de arte grammatica Prisciani“ inscripsit, primum de voce, literis, syllabis, pedibus, de nominativo singulari, de casibus obliquis, de pronomine, de conjugationibus, de anomalibus, prosodiae ubique „quantum ad primam institutionem metricae artis sufficere“ putat, ratione habita; tum de gerundiis, de adverbiis, de participio, de conjunctione, de praepositionibus; denique (libr. II.) vim ac variam metrorum potestatem, genus, numerum, figuras, pedes explicat. Ars metrica in institutione puerorum

Fuldensium, sicuti multis aliis locis, magni erat momenti; neque enim solum ea ad poetarum carmina intelligenda carere non poterant; sed etiam discipuli a Hrabano in metricis ita exercebantur, ut res qualescunque versibus includere possent. „Omnes", inquit Joh. Trithemius, „quos in auditorium suum docendos admisit, non solum prosa, sed etiam carmine quidquid occurrisset scribere informavit."

Pueri, postquam grammaticae elementis imbuti sunt, magistro duce veterum scripta legebant quum scriptorum tum poetarum. Nam Hrabanus, quantumvis et mente et animo religioni esset deditus, adeo non abhorruit a lectione illorum, ut eam omnis paene puerorum eruditionis fundamentum esse vellet; qua quidem in re optimos auctores, Augustinum, easque Hieronymum, Cassiodorum, Alcuinum est secutus. Ab initio enim christiani pueri iisdem artibus, quae in scholis caesarianis tradebantur, informabantur. Nonne Hieronymus senex in coenobio, quod prope Bethlehem erat, Ciceronis, Virgilii, Horatii, Terentii opera, quae prius in domo parentum grammatico adjutore legerat, pueris explanavit? Item s. Benedicti discipuli praeter sacra christiana in omnes Europae partes Romanorum literas attulerunt, easque foverunt, coluerunt. Poetarum Virgilius, Horatius, Terentius, Lucanus, Statius, Iuvenalis, scriptorum Cicero et Sallustius magnam habebant auctoritatem, ad quos multis in scholis christiani poetae, Prudentius, Sedulius, Juvencus, Fortunatus accedebant. Omnes autem laude atque auctoritate superavit Virgilius, qui quum tota aetate caesariana in scholis viguisset, post interitum imperii romani, cujus aeternitatem vaticinatus erat, non modo non superstes mansit, sed magis florere coepit tantamque apud homines aetatis mediae existimationem consecutus est, ut ab omnibus fere scriptoribus summis ac pulcherrimis titulis praedicaretur. Cujus rei causas si quaerimus, praeter nominis nobilitatem, quae jam apud Romanos magna fuit, non vulgaris commendatio ejus a laudibus videtur esse profecta, quibus ab Augustino, Hieronymo, Ambrosio, Lactantio, aliis viris gravissimis decoratus est. Praedicant eum doctum, sapientem, philosophum, latini eloquii magnum oratorem, poetam eloquentissimum, alterum Homerum, omnium praeclarissimum atque optimum poetarum. In carminibus ejus semina quaedam et similitudines christianae veritatis inesse putabantur; ipse inter religionem falsam et veram quasi medius utriusque particeps et sine Christo prope christianus esse videbatur; immo vero ad errores superstitionis refellendos, ad edocendos de veritate christiana barbaros interdum pro testimonio afferebantur sententiae Virgilianae. Plurimum autem omnium ad tantam ejus opinionem ecloga quarta contulisse videtur, quae vox quaedam prophetica habebatur, qua quasi alter Jesaias reditum aetatis aureae et salutis humanae restitutoris adventum cecinit. Cujus auctoritas quanta fuerit tempore Caroli Magni, ex eo jam satis cognosci potest, quod eorum, quos ille in amicorum societatem receperat, nonnullis nomina ex eclogis sumta imposita sunt. Virgilius in domo Caroli, Caesarum majestatis heredis ac possessoris, quasi domesticus poeta existimatus est. Quibus de causis ejus lectio in puerorum institutione plurimum valebat. Quam pie monachi Fuldenses illum poetam, sicut Ciceronem, coluerint, testimonio est epistola Lupi Ferrariensis, in qua ad amicum quendam, in schola Fuldensi quondam condiscipulum, per jocum scribit: „Jam vero paene stomachor, quoniam non scripsisti, quid Probus noster" (clarissimus Fuldae grammaticae magister) „exerceat, scilicet utrum in saltu Germaniae disciplinas liberales, ut serio dicere solitus erat, ordine currat, an certe inchoatam satyram, quod magis existimo, struens Ciceronem et Virgilium ceterosque opinione sua probatissimos viros in electorum collegium

admittat.“ Denique quis dubitat, num Virgilii, Horatii, Ovidii carmina nota fuerint Hrabano, qui ea cum versibus amici cujusdam veritatem quodammodo excedens comparat:

Carmina nempe tua dico meliora Maronis
Carminibus, celsi cantibus Ovidii,
Odis quas cecinit Flaccus. — ?

Praeter eos, quos commemoravimus, Hrabano etiam Juvenalis, Persius, Lucanus, Lucretius, Seneca, quorum omnium olim codices in bibliotheca Fuldensi reperiebantur, fuerunt noti. Loci enim ex iis sumpti non raro in illius libris allati sunt; quorum multos quidem ex Isidori Hispalensis Originibus sumsit, sed id nullum est verum argumentum, Hrabanum scriptores, quorum verba adscripserit, ipsum non legisse; contra ea illum loco quodam id quod Isidorus de Virgilii Georgicis dixerat, correxisse scimus.

Quo consilio quaque ratione veteres, imprimis poetae a Hrabano lecti sint si quaerimus, ipse Hieronymi verbis utens haec quasi respondit: „Poemata et libros gentilium si velimus propter florem eloquentiae legere, typus muliebris captivae tenendus est, quem Deuteronomium describit et Dominum ita praecepisse commemorat, ut si Israelites eam habere vellet uxorem, calvitium ei faciat, ungues praesecet, pilas auferat et cum munda fuerit effecta, tunc transeat in viatoris amplexus. Haec si secundum literam intelligimus, nonne ridicula sunt? Itaque et nos hoc facere solemus, hocque facere debemus, quando poetas gentiles legimus, quando in manus nostras libri veniunt sapientiae secularis; si quid in eis utile reperimus, ad nostrum dogma convertimus; si quid vero superfluum de idolis, de amore, de cura secularium rerum, haec radamus, his calvitium inducamus. Hoc prae omnibus cavere debemus, ne haec licentia nostra offendiculum fiat infirmis, ne pereat qui infirmus est in scientia nostra frater, propter quem Christus mortuus est, si viderit in idoleo nos recumbentes.“ Et alio loco: „Illud“, inquit, „adhuc adjicimus, quod philosophi ipsi qui vocantur, si qua forte vera et fidei nostrae accommodata in dispensationibus suis seu scriptis dixerunt, maxime Platonici, non solum formidanda non sunt, sed ab eis etiam tanquam injustis possessoribus in usum nostrum vindicanda.“ Etsi ille in purgandis veterum libris modum excessisse videtur, tamen curam laudare debemus, qua ne ii, qui sibi demandati essent, quodcunque cum pietate christiana pugnaret, auribus acciperent cavebat. Tantum enim valebant illi scriptores, quantum ad puerorum eruditionem conferebant.

Praeter Romanorum literas et linguam in schola Fuldensi etiam graecae tradebantur elementa, neque id minus, quam in ceteris Germaniae scholis, quae tum florebant, Sangallensi, Augiensi, Corbejensi. Illuc jam Britanni, a quibus Bonifacio auctore monasterium erat conditum, graecum studium, qualecunque erat, attulisse putantur. Accedit, quod Hrabanus in schola Turonensi, in qua Theophilus quidam Ephesius illam docebat linguam, graecis haud dubie navavit operam. Itaque quamquam eum interiorem graecorum scientiam habuisse confirmare non possumus, illius linguae imperitum non fuisse, quis negat? Nemo dubitabit, quin is graece sciverit, qui teste Joh. Tritheimio latinam linguam ex graeca tanquam ex fonte esse deducendam atque hac ipsa accuratius cognosci censuit neque quemquam „apud Latinos veraciter eruditum et in sacris literis consummatum posse reperiri, qui notitiam graecae linguae non fuerit assecutus“, dixit. Praeterea nonnulla ejusdem linguae vestigia in ejus scriptis invenimus, ut in „Excerptione de arte grammatica“ de syllabae voce deducenda et definienda bene haec dicit: „Syllaba est proprie congregatio aut comprehensio literarum sub uno accentu et uno spiritu prolata, abusive tamen etiam singularium vocalium sonos

syllabas nominamus. Syllaba graece, latine conceptio sive complexio dicitur. Nam syllaba dicta est ἀπὸ τοῦ συλλαμβάνειν τὰ γράμματα." Cujus notationis in Prisciani libro, quo usus est, nihil legimus. Alio loco latina ceterisque linguis sonantiorem appellat graecam, quae inter ceteras clarior habeatur. „Tres sunt", inquit, „linguae sacrae: hebraea, graeca, latina, quae toto orbe maxime excellunt: his nempe tribus linguis super crucem domini a Pilato causa ejus fuit scripta. Unde et propter obscuritatem sanctarum scripturarum harum trium linguarum cognitio necessaria est, ut ad alteram recurratur, si aliquam dubitationem nominis vel interpretationis sermo unius linguae attulerit. Graeca autem lingua inter ceteras gentium clarior habetur. Est nempe et latinis et omnibus linguis sonantior." Quae verba etsi ex Isidori libro repetit Hrabanus, tamen ex plurimis locis rerum, de quibus exposuit, inscium imperitumque nihil descripsisse facile intelligimus. Et quis eum graece scire simulasse contenderet? Num scriptores graecos legerit, dubito, quamquam Homeri carmina, quorum magis auditione quam lectione habuisse videtur notitiam, interdum commemorat. Adeo haud dubie graece scivit, ut in difficilioribus novi testamenti verbis graecum exemplum conferre posset: id quod Augustinus, qui dux omnium erat theologorum, in libro de doctrina christiana (II. c. XI) a theologo postulat.

Hebraicae quoque linguae non prorsus fuisse ignarum, ex ejus commentariis in veteris testamenti libros et glossario in vetus et novum testamentum conjicere licet; immo etiam recentioris judaici scriptoris interpretationes in commentario in libros, qui sunt de Regibus, attulit. Quod vero majus est, illius sollertia atque diligentia Fuldensi in monasterio culta sunt studia germanica, quorum jam Carolus curam gesserat. Nam quum Ludovici Pii socordia Aquisgrani germanica studia absolescerent, Fuldae denuo efflorescere coeperunt. Cujus rei testes satis habebo attulisse Otfridum illum monachum Weissenburgensem et Lupum Ferrariensem, quorum hic, qui linguae germanicae usum suo tempore pernecessarium existimabat, in epistola quadam, dum ingenue fatetur se quidem in coenobio Fuldensi linguae germanicae propter nimias rei difficultates operam non dedisse, haud obscure simul indicat, quanta laude ipsa Fuldensis schola istam ob causam Hrabani tempore apud omnes sit lata; tanti autem linguam nostram aestimavit, ut abbas factus ad eam discendam juvenes in Germaniam mitteret. Ille clarissimo sacro poemate quod inscriptum est „Krist", quanto studio ars metrica in schola Fuldensi culta sit, ostendit. Praeterea inter Hrabani opera glossaria germanica in libros sacros et de partibus corporis humani reperiuntur, quae, ut recte putatur, non ab ipso, sed a discipulis ejus literis mandata, testimonio sunt, magistrum praestantissimum libros sacros veteresque scriptores interpretantem, interdum quidem, usum esse sermone germanico. Carminis quoque antiquissimi, in quo de Hildebrando et Hadubrando agitur, codex, haud dubie seculo nono scriptus, qui hodie in bibliotheca Cassellana servatur, olim monasterii fuit Fuldensis. His documentis confirmatur, a Hrabano nostrarum literarum studia culta esse atque aucta.

Ut supra demonstravimus, in institutionis grammaticae cursu, quem dicimus, lectio veterum scriptorum magni erat momenti. Item rhetoricae institutio ex parte quidem in lectione veterum erat posita. Hrabanus quidem ipse nullum reliquit librum, ex quo qua ratione eam disciplinam tractaverit, possumus cognoscere; sed quum eandem docendi rationem, quam Alcuinus sequeretur, tum iisdem, quae magistro in manu fuerant, usum esse adjumentis, manifestum est. Alcuinus autem Ciceronis libros, qui sunt de Inventione et de Oratore, institutioni rhetoricae pro fundamento jecerat. Id inde intelligimus, quod ille

dialogum, quem de ea arte composuit, maximam partem ex libro Ciceroniano de Inventione scienter excerpsit, quaeque de elocutione et pronuntiatione adjecit, mutuatus est ex Ciceronis libris de Oratore, ita ut idem argumentum, de quo orator romanus copiose exposuit, brevius absolveret atque sententiis, verbis, exemplis, quantum fieri poterat, retentis in dialogi formam redigeret. Alcuinum vero suum librum in locum Ciceroniani substituere noluisse, cuique utriusque scripta comparanti facile apparebit; nam illius opus sine Ciceroniano non plane intelligi posse videbit. Etiam ea, quae ille de virtutibus disseruit, ex Ciceronis libro de Inventione sumta sunt. Is rhetoricam bene dicendi esse scientiam versarique in quaestionibus civilibus dixerat; Hrabanus vero hanc definitionem non prorsus probans latius patere ac praecipue ad orationes de rebus sacris habendas pertinere arbitratus est. In institutione d i a l e c t i c a e, quam Alcuinus „disciplinam rationalem quaerendi, definiendi et disserendi, etiam et vera a falsis discernendi potentem“ definit, quaeque in quinque partes: isagogas, Categorias, syllogismorum formulas et definitiones, topica, periermenias (*περὶ ἑρμηνείας*) dividebatur, libris Aristotelis Porphyriique, in cujus isagogas Hrabanus scripsit commentarios, utebantur; nec vero ex ipso graeco fonte hauriebant Stagiritae sapientiam, sed maxime ex Boethii libris, qui quum illorum scripta in romanam, jam christianam linguam converterat, tum de Aristotele tam bene meritus erat, ut qualis Cicero Romanis, talis fieret Christianis. Exempla ad leges dialecticas illustrandas apta ex veteribus solebant repeti, ut ex Alcuini libro de dialectica patet, imprimis ex Virgilio, Terentio, Cicerone.

Tres illae disciplinae, de quibus breviter exposuimus, praecipue ad puerorum juvenumque animum excolendum pertinebant, ceterae autem eo consilio eaque ratione tractabantur, ut ad usum quendam transferrentur. Hrabanus astronomiam dignum esse religiosis argumentum dicit „magnumque curiosis tormentum. Hanc si casta ac moderata mente perquirimus, sensus quoque nostros (ut et veteres dicunt) magna claritate perfundit“. Eodem consilio a r i t h m e t i c a e studebant, ut numeros qui in libris sacris leguntur, interpretari possent, ex quo usu „quam jucunda sit et utilis arithmeticae disciplinae cognitio“, facile posse intelligi censet Alcuinus. G e o m e t r i a autem, quae ad theologiam nullam haberet vim, inferiorem inter disciplinas obtinebat locum. Pluris vero m u s i c a, quam potissimum intelligebant cantum, aestimabatur, cujus vim etiamtum in cultu divino magnam fuisse negari non potest.

Docendi rationem, qua Hrabanus in literis tractandis utebatur, quum ex ipsius scriptis minus perspicere possimus, hac quoque in re ex magistro de discipulo judicantes nos haud, ut opinor, errabimus. Illius autem rationem ex libris, in quibus grammaticam, rhetoricam, dialecticam tractavit, facile possumus intelligere; ii enim ad exemplum dialogorum Platonicorum compositi sunt, neque sine stupore auctoris admiramur facultatem ac facilitatem, qua colloquendo varia variarum disciplinarum exposuerit praecepta. Certe eadem disserendi ratione a Socrate profecta ingressus est Hrabanus, qui, ut ait J. Trithemius, „singularem docendi gratiam habebat et persuadendi maximam facilitatem“. Huc accessit metaphorica atque allegorica dicendi ratio, qua poetarum instar non res ipsas, sed earum imagines et symbola exprimebant Alcuinus, Hrabanus, alii, quaque aeque ac Socrates adolescentium acuebant animos. Viva vox sermonesque, quos cum discipulis instituebat, sola fere eruditionis quasi subsidia erant, quibus magister poterat uti; nam quibus rebus nos abundamus, quasque pueri nostri vilissimo emere possunt, ut libri et charta, tum rarae erant et pretiosissimae.

Quod restat, ad mores discipulorum emendandos quantam vim habuisse necesse est verba magistri, qui eam, quam ore, scriptis profitebatur, pietatem, etiam vitae sanctitate et

exemplo commendabat? „Neminem", narrat J. Trithemius, in auditorium suum admisit, nisi prius mentem ejus diligentissime super integritate observantiae regularis explorasset". Eadem severitas qua utebatur, omnibus in monasteriorum scholis erat, quibus jam s. Benedictus in regula sua praeceperat: „Pueri aut jejuniis nimiis affligantur, aut acribus verberibus coerceantur". Denique Rudolfus, monachus Fuldensis, Hrabanum, qui „taciturnitatem et attentionem" summas discipulorum virtutes appellavit, curam de disciplina monastica (quae tum eadem erat ac hodie scholastica) maximam adhibuisse tradidit.

Haec igitur instituendi ratio, hae sunt disciplinae, quae in monasterio Fuldensi traditae sunt a Hrabano ceterisque praeceptoribus, quorum opera schola Fuldensis brevi in tantam claritatem pervenit, ut quicunque interiorum literarum erant cupidi, ex cuncta non Germania solum, sed ex Gallia quoque eo confluerent, Fuldaque caput quoddam et exemplar similium multarum per varias deinceps patriae terras institutarum scholarum et esset et duceretur. Praesides aliorum monasteriorum suos Fuldam illo duce sacris liberalibusque literis erudiendos mittebant; alii, qui in monasteriis suis scholas aperiebant, praeceptores illinc arcessebant; etiam nobiles filios Hrabano educandos instituendosque tradebant, ita ut vix omnes in monasterium recipi possent. Horum omnium, ab eodem magistro institutorum opera, praesertim quum multi magnos ecclesiae honores nacti essent, factum est, ut intra brevissimum temporis spatium in Germania artes literaeque exsuscitarentur atque illa schola tanta floreret gloria, ut Fuldensium hoc frequens ac quasi commune fieret proverbium: „Ex scholis omnis nostra salus, omnis gloria, omnis auctoritas et divitiae!" Literarum studium et amor Hrabano magistro tantus erat, ut ipse Einhardus, homo sane doctissimus, Vussinum filium suum Fuldensibus demandaret. Ob eos, qui monachorum numero adscribi nolebant, scholae secundum decretum consilii Aquisgranensis (a. 817) divisae sunt in interiores sive claustrales, in quibus solum futuri monachi instituebantur, et in exteriores, in quibus ii, qui disciplinae severitate adstringi nolebant aut ad rem publicam accedere volebant, docebantur, ne, ut Schannatius dicit, „pueri oblati, quorum potior cura habebatur cum saecularibus permixti, eorum mores contraherent aut cum his secularia discerent".

Primis annis, quibus docendi munere fungebatur, juvenili ardore (triginta enim natus erat annos) perfecit opus, propter quod adhuc poeta celebrabatur, „Libros de laudibus s. crucis;" quos ut perficeret praeter Hattonem condiscipulum adhortatus erat Alcuinus. Totum opus, quo quanta pietate in Crucifixum et quam in arte versificandi exercitatus fuerit, ostendit, ex duobus constat libris, quorum alter duodetriginta carmina, ex quorum singulis literis et verbis varae crucis figurae sunt formatae, et declarationes, ut ipse nominat, ad diversas figuras continet; in altero easdem oratione soluta illustrat. In prooemio versibus loquentem facit Alcuinum, qui ipsum Martino Turonensis ecclesiae et scholae patrono, sic commendet:

Sancte dei praesul, meritis in secula vivens,
Causam, quam ferimus, suscipe mente pia.
Nempe ego cum fueram custos humilisque magister,
Istius ecclesiae, dogmata sacra legens:
Hunc puerum docui divini famine verbi,
Ethicae monitis et sophiae studiis.
Ipse quidem francus genere est, atque incola silvae
Boconiae huc missus discere verbi dei.

Abbas namque suus, Fuldensis rector ovilis,
Illum huc direxit ad tua tecta pater.
Quo mecum legeret metri scholasticus artem,
Scripturam et sacram rite pararet ovans;
Ast ubi sex lustra implevit, jam scribere tentans
Ad Christi laudem hunc condidit arte librum.

In ultima tabula poeta ipse sub cruce prostratus cernitur exque literis, quae in ejus figura sunt, haec formantur verba: „Rabanum memet clemens rogo Christe tuere O pie judicio."

Ita in studia unice incumbens et ab omnibus discipulis cultus et dilectus per longum temporis spatium officii sui partes laetus explevit. Noluit tamen deus, ut non sine rebus adversis complures viveret annos. Primis enim seculi noni annis tota Francia fame, morbis aliisque vexabatur miseriis, quibus etiam monasterium Fuldense exagitabatur, ita ut anno 807 major pars monachorum minorum natu peste consumeretur et pueri, qui ibi educabantur, custodis sui disciplinam detractarent scholamque desererent. Gravissimum autem, quod Hrabano scholaeque contigit, fuit, quod abbas mutato animo omnes cogitationes suas ad aedes exstruendas atque exornandas aliasque res externas objecit, monasterii instituta, quae adhuc viguerant, permutavit, officia sacra deminuit, horas studiis destinatas sustulit, monachos ut graviora opera facerent coegit, quibus vires eorum ita exhauriebantur, ut complures ejusmodi laboribus impares interirent. Hrabanus etiam libris privatus est et frustra abbatem ut sibi redderet, precibus obsecravit; sed frustra. Quum igitur Ratgarius in incepto pertinaciter perstaret, monachorum alii e sacro loco sunt ejecti, alii alias petierunt sedes: pauci tamen remanserunt, in his Hrabanus, qui amico cuidam in exilio viventi hanc abbatis, quem Candidus monachus monocerotem appellavit, imaginem expressit:

Durescit qui animo et credere nescit,
Trux deturbat oves, caede cruentat;
Nullius miseret, saevit in omnes.
His commota malis turba reliquit
Antiquum stabulum; fit peregrina
Laesis una salus pergere longe est.

Postquam autem de Fuldensium querelis certior factus est Carolus Magnus, anno 809 Richulfum, archiepiscopum Mogontinum, Fuldam misit, qui contraversiam, quae monachiis erat cum abbate, quaereret et componeret; abbas vero magnificentia ac splendore novi templi in vicino monte exstructi eum adeo cepit, sibique precibus ac donis amicum devinxit, ut quaesitor ad Carolum referens accusatum contra monachos defenderet. Ita de conditione monasterii deceptus imperator monachis imposuit silentium, abbatemque ut in eo, quod sibi proposuisset, maneret, cohortatus est. Qua re Ratgarius in agendi ratione sua persistens illisque gloriae stimulis concitatus alterum templum aedificare coepit, quo in opere monachis miseris graviora ferenda erant onera. Hi autem, quum abbatis duritiem non amplius perferre possent, consilio inito ex se duodecim electos ad Carolum Aquisgranum miserunt, qui „libellum supplicem" in quo omnes eorum querelae erant expositae, illi traderent. Sed quum abbas ipse domum imperatoris ad se defendendum se contulisset, res non recte judicata est. Novae igitur multoque vehementiores secutae sunt contentiones in monasterio, ut imperator Richulfum, quem supra nominavimus, et episcopos Bernharium Wormatiensem, Hattonem Augustanum, Wolgarium Herbipolensem illuc mittere cogeretur, qui inter monasterii

incolas pacem, in breve quidem tempus, conciliarunt. Vix vero Carolus anno 814, quo etiam archiepiscopus ille Mogontinus mortuus est, supremam obierat diem, quum abbas, ut erat ejus aedificandi studium, suos denuo vexavit: novi motus, novae contentiones exortae sunt, ut fratres de ejus injuriis ad Ludovicum Pium deferrent, qui tandem illum a munere removit. Tum exules Fuldam redierunt, rediit pax et concordia, rediit pristina disciplina. Neque multo post monachi venia ab imperatore impetrata abbatem elegerunt Eigilum, de cujus moribus Candidus, scriptor ejus, hanc expressit imaginem: „Diligebat fratres suos, sicut sancta regula docet, et maxime illos, quos in Dei servitio atque divina lectione studiosos esse cognovit; disputationem quoque saepius cum Hrabano magistro, qui ei erat speciali familiaritate connexus, excepit et frequenter in disputando ad hoc solummodo nos cum ipso in ejus praesentia concitavit, ut secundum sententiam Salomonis audiens sapiens sapientior efficeretur. Omniquoque industria et sagacitate laborabat, ut gregem sibi commissum, divina opitulante gratia, in Dei servitio custodiret. Nullum zeli vel livoris dolo persequebatur, nec quemquam parva suspicione fatigabat, neque perpetuo exterminabat odio. Fuit quippe in diebus ejus fratribus pax, cor unum et anima una in Deo, nec erat, qui perturbaret monasterium in tam delectabili concordia roboratum. Obedientiae bonum non solum abbati, sed et sibi invicem cum summa reverentia exhibere gaudebant, scientes se per hanc obedientiae viam ituros ad Deum; adeo enim hic venerabilis vir sospes et alacer in hoc suscepto regimine usque ad finem vitae suae perdurabat, ut nunquam illi congregatio, nec ille congregationi monachorum ullam molestiam perturbationis videretur inferre". Quo auctore etiam schola, quae, quum pestis in monasterium incidisset, quieverat, reviviscere coepit et adolescentes, ut prius, literarum causa Fuldam conveniebant. Hrabanus, cujus literarum studium nullis acerbitatibus, nullis doloribus erat imminutum, cujusque animus ab omni contentione vehementer abhorrebat mitissimaque erat natura, iterum studiis munerique suo se totum tradidit. Otio literato, ut antea consuerat, fruens libros de Institutione clericorum, quos misit Heistulfo archiepiscopo, conscripsit, ut discipuli se aliosque „ad servitium divinum instruere" possent. Quod opus, in quo ubique librorum Cypriani, Hilarii, Damasi, Ambrosii, Hieronymi, Cassiodori, Gregorii Maximi, imprimis Augustini rationem habet, in quatuor libros divisit, quorum tertius liber edocet, „quomodo omnia, quae in divinis libris scripta sunt, investiganda atque discenda, nec non et ea, quae in gentilium studiis et artibus ecclesiastico viro utilia sunt." Ita scholam usque ad annum 822 regebat et moderabatur. Sed quum Eigilus eo anno mortuus esset, ille a monachis abbas electus et ordinatus est. Scholam regendam Walafrido Straboni discipulo suo commisit, sibi ipsi clericorum retinuit institutionem. Etiam in novo loco, quo erat collocatus, coepta persequi, literas libris scriptis, suadendo, adhortando aliorumque studia excitando juvare non desiit. Quo liberius docendi muneri doctrinaeque christianae populo tradendae se dicare posset, earum rerum, quae sunt ad vivendum necessariae, constituit procuratores, quorum fides ei erat cognita. Qua re, ut ait J. Trithemius „sub ejus regimine monasterium Fuldense rebus atque personis crevit quotidie, et fama sanctitatis monachorum ejus per totum Francorum regnum diffudit; praecipue tamen abbatis doctrinae et sanctimoniae in ore fuit omnium non solum apud Germaniae Francos, sed apud gallicanos quoque et Italos; ad audiendum illum certatim confluebant viri multarum facultatum periti et se fore beatos existimabant, qui ad ejus fuissent familiaritatem admissi". Ita factum est, ut ibi tanquam in opimo ac fertili agro viri et doctrinae magnitudine et vitae integritate praestantes alii aliis

per illud tempus succrescerent, alii ex aliis continenter quasi propagarentur. Discipulorum ejus multi magnam de literis excolendis meriti sunt laudem, in quorum numero imprimis hi sunt referendi: Walafridus Strabo, prius monachus, deinde abbas Augiensis, qui per totam aetatem mediam praecipue propter „Glossas ordinarias“ vel breves sacrorum librorum interpretationes, quarum maximam quidem partem ex Hrabani commentariis excerpsit, eximia laude celebrabatur; Servatus Lupus, postea abbas Ferrariensis, qui singulari studio veteres complectebatur scriptores, et quum anno 844 Germaniam reliquisset, cum Hrabano, quem „eximium suum praeceptorem“ appellat, et Einhardo perpetuam habebat commercium; Otfridum, monachum Weissenburgensem in historia germanicarum summum obtinere locum, jam vidimus; Rudolfus, quem compluries commemoravimus, inter alia de reliquiis sanctorum Hrabano abbate Fuldam translatis librum conscripsit, qui saepe false Vita Hrabani inscribebatur; Liutbertus, qui cum colonia in monasterium Hirsaugiense recens conditum missus ea, quae ab Hrabano didicerat, propagare studuit; Probus, s. Albani monachus Mogontinus, qui antea in schola Fuldensi, ut vidimus, grammatica docuit; Ruthardus, qui scholam Hirsaugiensem complures annos eximie rexit, alii, per quos literarum studia in patria nostra maximeque media in Germania excitata sunt et roborata, ut qualis schola Sangallensis Germaniae superiori, Corbejensis septentrionali, talis Fuldensis esset mediae.

Inter eas res, quae scholae studiisque afferunt incrementum, primo quasi loco omnibus ponendi sunt libri. Quare monachi praeceptum s. Benedicti sequentes ab initio in iis comparandis describendisque magnam collocabant industriam. Quantopere vero Hrabanus bibliothecam, quam Fuldenses armarium suum vocitabant, auxerit ex Libri mortuorum fratrum verbis vidimus: „Fecit et bibliothecam, quam tanta librorum multitudine ditavit, ut vix dinumerari queant;“ (!) et ille ipse in carmine ad Gerhohum bibliothecarium scripto dicit:

Dicere quid possum de magna laude librorum,
Quos sub clave tenes, frater amate, tuo?
Quidquid ab arce deus coeli direxit in orbem
Scripturae sacrae per pia verba viris,
Illic invenies, quidquid sapientia mundi
Protulit in medium temporibus variis.

Quo studio literas, eodem coluit artes. Hoc enim consilio praecepit, ut pars fundorum, quorum fructus erat abbatis, ad templa exornanda aliaque artificia facienda adhiberetur. Novum templum, quod Eigilus imperfectum reliquerat, perfecit varieque exornavit; singularem autem diligentiam ad arcas, quibus reliquiae sanctorum corporum includerentur, contulit fabricandas; auro enim, argento lapidibusque pretiosis eas decoravit ipseque versibus, quorum literae auro erant caelatae, exornavit. Tunc Isanbertus monachus sculptor, Rudolfus, Candidus, Hatto pictores celebrabantur. Quum vero Hatto inter pingendum negligere videretur literas, abbas eum cohortatus est his versibus:

Nam pictura tibi cum omni sit gratior arte,
Scribendi ingrato non spernas, posco, laborem,
Psallendi nisum, studium curamque legendi,
Plus quia gramma valet, quam vana in imagine forma.

Inter haec literarum artiumque studia pauperibus non omittebat opem ferre. Ut alia omittam, edixit, ut, si quis fratrum moreretur, ejus pars cibi ac potionis non diminuta continuos per triginta dies „pro animae defuncti salute“ inopibus distribueretur.

Ita viginti annos „nobiliter" praefuit monasterio, quod illius opera tantam obtinebat dignitatem atque auctoritatem, ut omnibus fere, quae in regno Francorum erant, monasteriis antecelleret, praesertim quum Ludovico Pio regnante ceteras literarum sedes, quae, ud vidimus, a patre ejus erant conditae frequentissimae, magna invaderet barbaries. Intervenerunt enim, quaecunque rem bene coeptam impedire, imo paene opprimere possent, quum barbarorum incursiones tum bella intestina, quae ex praematura imperii divisione, imperatoris imbecillitate, filiorum cupiditate exorta esse scimus. Omnes igitur, qui erant intelligentes publicaeque salutis prospiciebant, de lacerato imperio conquerebantur ac deplorabant. Qua in tempestate abbatem Fuldensem, cujus auctoritas apud omnes valebat plurimum, cujusque non clerici tantum, sed principes quoque utebantur consiliis, ab omni vacuum manere molestia seque rebus publicis removere non potuisse quis est, quin intelligat? Itaque concilio generali, quod Ludovicus, ut imperii terras Caroli filii gratia denuo divideret, anno 829 Wormatiae habebat, interfuit. Verum, quamquam rerum causa publicarum erat arcessitus, animus ejus aliis majoribusque rebus ibi commovebatur. Tradidit enim Hilduino, abbati s. Dionysii, qui eo tempore una cum Elisacharo cancellario, Matfredo comite, Adalhardo et Wala fratribus, viris in rerum publicarum varietate versatis, regni negotia administrabat, commentarium suum in libros Regum, et Geroldus archidiaconus, quum de praestantia librorum sacrorum et de difficultate libros historicos explicandi cum illo habuisset sermonem, eum, ut in libros παραλειπομένων et Machabaeorum scriberet commentarios, adhortatus est. Quibus in libris conficiendis occupatum Fuldae convenit imperator, cujus gratiam inter bellorum certaminumque furores ille perpetuo retinebat. Quo tempore imperator infelix magnis curis et sollicitudinibus afficiebatur a filiis, imprimis a Lothario, qui patrem aliquamdiu contumeliosa tenebat custodia, ei libellum „de reverentia filiorum erga parentes et subditorum erga reges" misit, in quo multos ex sacris libris proferens locos primum eos, qui se peccasse generatim fateantur, ab aliis autem coargui non possint, neque in judicium vocandos neque contemnendos esse, tum filios, etsi futuri heredes sint instituti, non decere parentes honoribus ac possessionibus privare edocet; postremum Ludovicum, ut clementia utens filio poenitenti ignoscat, cohortatur. Idem alterum librum imperatoris jussu composuit, in quo eos, qui magistratibus obediant, praemiis, contumaces vero et superbos poena esse afficiendos demonstrat. Verum tamen eum quantumvis imperatori esset studiosus, filiorum benevolentiam aliquamdiu quidem retinuisse, ea res ostendit, quod Ludovicus rex anno 834 privilegium ab imperatore anno 816 Fuldensibus datum renovavit. Pax vero, quae quum Lotharius anno 835 in gratiam cum patre rediisset facta erat, non fuit diuturna. Discordia denuo inter patrem et filios concitata Ludovicus rex, qui sibi factam esse injuriam duceret, arma contra patrem capiebat atque abbatem Fuldensem ad se studebat perducere. Sed frustra! Ille in officio manebat. Ut autem Ludovicus imperator diem suum obiit, omnium rerum status factus est deterior: bellum inter reges, qui perpetuas de jure habebant controversias, praesertim quum regnorum vasalli, quocum starent, nescirent, vehementius exarsit; in quo Hrabanus Otgarii archiepiscopi sui auctoritatem sequens Lotharii rebus studuit. Ipse enim et permulti nobilissimorum Francorum in terrarum divisione omnium malorum, in quae regnum incidisset, causam ac semen fuisse neque imperium, nisi rerum summa in omnibus imperii partibus uni tradita esset tuenda, pristinam dignitatem recepturum esse putabant. Laudabiles, sed inanes cogitationes! Plagam igitur, quae Lothario Otgarioque illata erat, etiam Hrabanus accepit, qui post Ludovici Germanici, adversus quem steterat, victoriam amplius dignitatem suam retinere non poterat. Praeterea pars monachorum Fuldensium, quae, ut putatur, Ludovici rebus favebat, abbati, cujus severitatem diutius ferre nollet, obstitisse dicitur.

Quum igitur munere se abdicasset et ut Hatto, discipulus et amicus, ad abbatis dignitatem proveheretur auctor fuisset, impendentem tempestatem evitans ad Haymonem, episcopum Halberstadiensem, sibi familiarissimum, se recepit, apud quem usque ad anni 843 exitum studiis deditus mansisse videtur. Tum vero post pactionem Viriduni a regibus factam, commercio cum Lothario non sublato, Ludovici gratiam sibi reconciliavit Fuldamque reversus in monte s. Petri, ubi antea templum aedificaverat, ab omnibus curis remotus, se totum literis tradidit atque in Dei consuetudinem immersit. Ibi complures in veteris testamenti libros composuit commentarios; maximum autem opus, quod ibi confecit, libri sunt XXII de Universo inscripti, in quibus omnia, quae ex opinione illius aetatis erant discenda, complexus est. Quod quidem diligentius perscrutati facile intelligent, auctorem plurima ex libris a se lectis excerpsisse totosque locos ex Isidori originibus sumsisse; sed tamen summum ejus studium, quo inter aequales suos eruditionem atque doctrinam disseminaverit, admirabuntur et pariter a superbo fastidio atque ab ambitiosa eorum praedicatione abstinebunt, quae etsi pro illius temporis conditione jure magna dici possunt, non nisi hac ipsa rerum mediocritate metienda sunt. Novis enim inventis literas locupletare neque potuit neque voluit, sed id praecipue spectavit,

ut literarum studio incenderet aequales. Neque vero diu in solitudine vivebat, sed anno 847 post mortem Otgarii „cum magno favore principum gentis Francorum et consentanea cleri et populi electione", ut Hatto abbas ad Leonem papam scribit, frustra reluctatus ad summam ecclesiae germanicae dignitatem perductus et mense Junio sacro ritu ordinatus est. Profecto grave onus suscepit eoque gravius, quo pejore tum erant conditione res ecclesiasticae! Ista de causa Hrabanus archiepiscopus eodem anno rege jubente Mogontiaci in templo s. Albani synodum quam dicimus, provincialem celebravit, in qua id potissimum egit, ut mores populi emendarentur, rudium hominum animi ad iram violentiamque propensi coercerentur, denique omnes res, quae ad religionem pertinerent, in pristinum statum restituerentur. Quam iniqua tempora fuerint ecclesiae, ex literis a synodo ad regem missis cognoscimus: „Proh dolor", conqueruntur episcopi, „his temporibus nec loca sancta venerantur, neque ministri Dei condigne honorantur; sed versa vice illi, qui honorari debuerunt, flagellantur, spoliantur atque diversis calumniis franguntur. Unde necessitas magna nos coegit pro hac re ad vos reclamare et petere, ut, sicut apud antecessores vestros, reges et imperatores, qui ante nos fuerunt, honorem s. Dei ecclesia habuit, et per immunitatem eorum possessiones ecclesiasticae inconvulsae perstiterunt, ita apud vos modernis temporibus incontaminatae permaneant." Decretorum autem quae synodus dedit, alterum nobis memorabile relatuque dignum esse videtur, quo sacerdotes iterum, ut jam in synodis Caroli M. jussu anno 813 in quatuor oppidis regni habitis praeceptum erat, admonebantur, „ut homilias haberent, continentes necessarias admonitiones, quibus subjecti erudirentur . . . . et ut easdem homilias quisque aperte transferre studeret in rusticam Romanorum linguam et theodiscam, quo facilius cuncti possent intelligere, quae dicerentur." Praeterea episcopi congregati de Thiota quadam, falsa vate, quae terrarum exitium appropinquare praedixerat, concionibusque ad vulgus habitis in dioecesi Constantiensi hominum animos ita commoverat, ut non solum vulgus sed clerici quoque nonnulli imperiti eam sequerentur, quaestionem habuerunt. Quae quum interrogata se quaestus studio atque indigni sacerdotis consilio, ut vatem ageret, esse impulsam libere confessa esset, in publico caesa est loris. Sequente anno rex in eadem urbe „generale placitum" habuit, in quo Hrabani vasallos imperium ejus detractantes in judicium vocavit, coarguit simulque cum illo placavit. Episcopi, qui ibidem aderant, convenerunt, ut praesidente archiepiscopo de Gotescalci cujusdam doctrina, qua tum hominum doctorum animi commovebantur, delibrarent atque decernerent. Qui quum sententiam suam mutare nollet, convictus, „ut plurimis visum est", haeresisque damnatus ad Hincmarum, episcopum Remensem, puniendus transmittitur. Priusquam vero proficisceretur, nunquam se rediturum esse juravit, quod rem in Germania confecit; in Francia autem occidentali magna doctorum hominum nimio concertationis studio incensorum exorta est pugna. Hrabanum multi durae severitatis temere incusarunt, quod vitium ejus natura et moribus prorsus erat alienum. Aliter agere non potuit quam egit. Nam quum ipsi persuasum esset pessimi esse exempli monachi doctrinam, nonne illo, qui seditionibus agitaret plebem, ex dioecesis finibus ejiciendo officium suum servavit?

Idem tertium concilium celebravit anno 852, in quo de concordia inter episcopos et comites constituenda, de episcoporum potestate, de decimis exigendis, de immunitate, aliis rebus ad dissolutos ac diffluentes et clericorum et laicorum mores constringendos severae leges sunt datae. Ita igitur nullam officii partem deserens, senectute jam adventante et urgente omnem contulit operam, ut mores eorum, quibus praeerat, emendarentur, leges christianae populo traderentur, templa aut conderentur aut reficerentur, bona ecclesiae injustis possessoribus eriperentur, omnia denique summo egit studio, quae ad boni praesulis officium pertinerent, ut ecclesia Mogontina meliore, quam antea, uteretur conditione. Quantumvis corporis vires in dies imbecilliores fierent et infirmiores, ex diuturno labore quieti se non dedit, sed quibuscunque rebus poterat, religioni prodesse studuit. Quo melius se Deo literisque dare posset, extremis vitae annis urbe relicta in villa sua prope Vinicellam in pago Rhenano morabatur et quum anno 850 incolae illius pagi gravissima premerentur fame, eos ita adjuvabat, ut merito pater pauperum appellaretur.

Libris partim Fuldensibus, partim monachis s. Albani testamento legatis, Vinicellae, ubi adhuc domus, in qua summus vir habitabat, quasi mutus beneficentiae ejus testis peregrinis monstratur, praeclare ac sancte vitae cursu confecto pridie nonas Febr. 856 mortuus est. Corpus ejus Mogontiacum relatum in monasterio s. Albani, in quo vivus propter monachorum ibi degentium sanctitatem libentissime moratus erat, sepeliverunt. Ibi quievit usque ad annum 1515, quo ab Alberto archiepiscopo Halas translatum in templo s. Mauritii est positum. Dies, quo vita decessit, in dioecesi Mogontina, quae eum ex initio seculi septimi decimi doctorem ecclesiae veneratur, inter festos est relatus, exque ea re, quod reliquiae ejus corporis et quidem ex auctoritate papae Halos translata sunt, cultum ejus approbatum esse patet. Ecclesia quoque Limburgensis diem illum prosequitur; ab universa autem Germania Hrabanus, quem Baronius cardinalis fulgens sidus, Theo-

logorum verticem appellat, is vir colitur atque in honore habetur, qui primus populo nostro literarum amorem impertiverit.

Haec habui, quae dicerem de vita Hrabani. Age vero jam videamus, quo animo quibusque moribus fuerit, atque merita ejus breviter nobis ante oculos proponamus!

Una est et consentiens vox omnium et aequalium et posterorum, eum summa fuisse morum integritate ac sanctitate, summa pietate atque amore Dei hominumque, singulari studio christianae veritatis conservandae ac defendendae, ita ut nunquam sibi quidquam praeter sincerum Dei cultum, qui omnis virtutis est fundamentum, dignitatem utilitatemque et ecclesiae et rei publicae propositum habuisse videretur. Viventem Humbertus, episcopus Herbipolensis, sanctum, Ermanricus, discipulus ejus, sanctissimum, Rudolfus virum valde religiosum appellavit, itemque per omnia mediae et recentioris aetatis secula sanctitatis ac virtutis ejus pervulgabatur fama ejusque beneficiorum memoria retinebatur gratissima, ut adhuc pagi rhenani incolae praesertim inopia et fame pressi eum implorare dicantur. Deinde nullo fuit fastu, nulla arrogantia inanique verborum jactatione, nulla ambitione, ita ut ipse diceret: „Grandis honor est, Christi ministrum esse, unde et grande praemium bene administrantem sequitur, ita ut cum Christo et sanctis angelis ejus in coelesti beatitudine sine fine laetetur. Atque ideo non convenit servis Christi contendere de sublimitate honoris, sed magis certare de utilitate sanae praedicationis et assiduitate bonae operationis“. Amavit cum alia honesta omnia tum concordiam praecipue et animorum consensionem; intestina autem odia et discordias semper capitales ecclesiae et rei publicae judicavit pestes. Muneris a deo ipsi assignati tuendi studio incensus summam in se adhibuit severitatem atque ab externis rebus, quae animum in inanes possent distrahere contentiones, se semper removit. Quapropter ei vita solitaria nihil erat dulcius; ei cella monachi templum quoddam erat, ubi silent omnia, ut prophetae verbis utar, solusque deus ad animum accedit pia laude ipsum celebrantem. Itaque quum Candidus monachus, qui Hrabano abbate literarum laude florebat, cum eo questus esset, quod socium, quocum de rebus divinis disputaret, non haberet, respondit: „Exerce temetipsum legendo et aliquid utilitatis adde dictando“. Jam aetatem puerilem, cui nostris moribus major quaedam licentia tribui ac permitti solet, neque in remissionibus animi, neque in voluptatibus posuit, sed in praestantium doctrina ac virtute virorum consuetudine diligentissimaque cum omnium honestarum artium, tum praecipue sacrarum literarum pervestigatione consumsit. Neque vero ab eo, quod sibi proposuerat, curriculo deterrere postea potuit laboris asperitas, sed in monasterio semper ita vixit, ut omnibus exemplum pietatis, obedientiae, omnis virtutis proponi posset. Abbas „dirum magistri et pium patris affectum subjectis sibi monachis exhibuit, quando indisciplinatos et duros corde severius arguit, obedientes vero mansuetos et humiles, ut in melius proficerent, paterno affectu benevolus obsecravit. Nunquam dissimulavit peccata delinquentium, sed mox ut oriri coepissent vitia, radicitus amputavit. Honestiores enim et animis generosiores prima vel secunda admonitione blandus corripuit; improbos vero, si qui occurrissent, duros corde, superbos et inobedientes non verbis modo, sed etiam (more illius aetatis) verberibus et abstinentia severius castigavit, sciens scriptum; quia stultus non corrigitur verbis“. Quid dicam de industria, assiduo literarum studio? Nonne adolescens magistros suos paene superavit eruditione? Profecto segnitiem ac socordiam per totam vitam mortis instar esse existimavit! Summa enim utebatur animi contentione atque diligentia, illudque tempus sibi perire credebat, in quo non aut disceret aliquid aut doceret. In hoc literarum studio constanter perstitit, ut quidquid ei dabatur otii, semper in literis omne consumeret. Studiosissime vero sacros ac patrum ecclesiasticorum libros pervolutavit et perscrutatus est, ut eos in succum et sanguinem suum, ut ajunt, converteret eorumque dicta et sententias semper in promptu haberet; quibus tamen nunquam ad inanem loquacitatem, sed ad excitandam aliorum pietatem iterumque sacros libros explanandos uteretur. „Erat enim ei, ut ipse ait, fundamentum, status et perfectio prudentiae sanctarum literarum scientia“. Quare ab iis, qui se ecclesiae tradituri essent, in libro de Institutione clericorum petiit et summe contendit, ut se ad librorum sacrorum eorumque, quos patres ecclesiae reliquissent, studium conferrent. „Necesse enim est, inquit, ut futurus populi rector dum vacat, paret sibi ante arma, in quibus postmodum hostes fortiter superet et gregem sibi commissum opportune defendat. Turpe est enim tunc primum quemlibet velle discere, dum debet (pastor constitutus) docere et periculosum est eum magisterii pondus subire, qui non scientiae praesidio suffultus, potens est illud afferre.“ Simul vero vehementer etiam atque etiam postulabat, ut ii, qui clericorum ordini adscribi vellent, cum studiis sapientiae et doctrinae propter praestantiam valde quidem commendandis virtutem et bonos mores conjungerent. „Nemo quippe,“ inquit, „amplius in ecclesia nocet, quam qui perverse agens nomen vel ordinem sanctitatis habet. Refugerent autem indigni quique tanti reatus pondera, si veritatis sententiam sollicita cordis aure pensarent, quae ait: qui scandalizaverint unum de pusillis istis etc. (Matth. 18)“ Quanto

vero studio, ut sacrarum literarum scientiam disseminaret, enisus sit, satis sunt testimonio commentarii, quos in omnes fere librorum sacrorum partes ex scriptis patrum maximam partem excerpsit et conscripsit, qui, etsi nihil fere aliud quam Hieronymi, Augustini, Gregorii, Ambrosii, aliorum explicationes continent, illo tempore haud paulum ad illorum librorum studium excitandum valuerunt iisque, qui ad eandem operam accessuri erant, inopia librorum, eaque saepe exemplarium utriusque testamenti, non contemnendum praebuerunt adjumentum. Videbatur ei salubrius esse, „ut humilitatem servans sanctorum patrum doctrinis inniteretur, quam per arrogantiam quasi propriam laudem quaerendo sua indecenter proferret.“ Itaque obtrectatoribus qui ipsum gloriae cupiditate impulsum scripsisse dicebant, his verbis respondit: „Detrahentium atque insultantium non curans vaniloquium, qui magis praesumtioni, quam pietati nostrum forsitan deputabant laborem. Et non mirum, cum magis parati sint, aliena lacerare, quam propria opuscula condere. Quorum quia nemo potest calumniam et invidos morsus devitare, nisi qui omnino nihil scribit, magis eligo vanam surda aure pertransire querimoniam, quam otiose torpens Christi negligere gratiam, cui soli placere optantes, vanos hominum rumusculos nihil ducimus.“ Quae quum ita sint, tamen est fatendum, Hrabanum, ex libris illorum ecclesiae heroum excerpendo suos, literis sacris magis profuisse, quam suo interpretandi modo potuisset. Majorem enim vim rationi, quam dicimus, allegoricae vel mysticae tribuit, qua permulti loci imprimis historicorum librorum perverse interpretata apparent. Cujus quidem rationis non semper commendandae causa in summa religione fuisse videtur, qua singula vocabula et enunciata interpretanda esse putabat. Utcunque res est, eum de sacris libris interpretandis atque de patrum operibus aperiendis sua aetate optime meruisse nemo negabit. Sicut ipse summa erat simplicitate ac sinceritate, ita oratione usus est simplici et sincera, qua excellebat inter omnes fere seculi noni scriptores qui ornate copioseque dicendi studiosi, propter verborum tumorem ac quaesitam elegantiam jure in vituperationem eorum, qui recte de scribendi genere judicare poterant, incidebant. Scripta ejus, si a carminibus discedimus, in duo genera dispertiri possunt, quorum alterum ea, quae ad liberales artes aut universe ad institutionem clericorum pertinent, ut Exceptio de arte grammatica, Libri XXII de Universo etc.; alterum ea, quae ad sacras literas, ut commentarii in libros utriusque testamenti, homiliae, continet; in quibus omnibus summam auctoris doctrinam atque studium, quo elaborabat ut hereditatem a se acceptam conservaret posterisque traderet, admirari debemus, Libris suis tantam laudem et gloriam inter viros doctos sibi paravit, ut in principes doctorum mediae aetatis referretur paucisque doctrinae gloria cederet. Quare Joh. Trithemius summo jure dicere potuit: „Omnis Germania simul et Gallia hunc beatissimum doctorem veneratur Hrabanum, ut unicum totius eruditionis principem. Merito Germanorum posteritas omnis Hrabani laudes in perpetuum personabit, qui primus omnium veteri barbarie pulsa suam fecit nationem sermone latinam.“ Istam laudem, qua unus ex doctissimis seculi sexti decimi viris eum ornavit, quis nostrum obterere audebit? Quanta denique cum dignitate dignitatem abbatis, episcopi gesserit, quid opus est pluribus exponere? Semper in quoque munere, quo fungebatur, quatuor illas virtutes, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, justitiam, quae in libro de laudibus s. crucis cecinit, eum secutum esse videmus. Quo factum est, ut ab omnibus admiratione affectus tanta floreret auctoritate, quantam eo tempore nemo est consecutus: principes viri non solum loco et genere, sed etiam ingenio et doctrina eum summo honore et observantia prosequebantur, consiliis ejus gravissimis in rebus utebantur, per literas cum eo colloquebantur. Ista vero auctoritate nunquam aliter usus est, quam ut literarum studia augeret, pacem inter certantes conciliaret, religioni et publicae saluti prodesset. Quare auctor libri mortuorum fratrum Fuldensium eum „omnibus bonis vivendo atque operando suis semet ipsum formasse exemplum recte dicit, neque aliter Sigilhartum, octavum monasterii abbatem praedicari posse existimat, quam si eum laudabiliter h r a b a n i c e abbatiam gubernare scripserit.

Sed satis jam verborum est. Quae exposui, declarant eum vobis, adolescentes carissimi, qui virtutem sequimini, tanquam exemplar morum integritatis, pietatis, indefessae assiduitatis merito atque optimo jure proponi posse nec usquam in vita ejus summi officii rationem desiderari. En habetis virum, non exterae, sed nostrae gentis et nobilissimae quidem Francorum nationis, qui suae omnique aetati quid ingenium et industria Germanorum procreare possint satis docuerit; habetis exemplum, ad cujus normam mores vestros dirigatis! Eum intuemini: imitamini! Illud praecipue contendite et enitimini, ut eruditionem et doctrinam cum vera pietate et virtute conjungatis! Quod si feceritis, spem parentum, patriae, omnium bonorum non falletis, sed rei publicae et ecclesiae ornamento et auxilio esse poteritis!



Jahresbericht
über den Zustand des Gymnasiums zu Hadamar im Schuljahr 1855 — 56.

I. Lehrverfassung.
A. Lehrercollegium.

Mitten im Kurse des I. Semesters hat das Lehrercollegium keine Veränderung erfahren. Am Anfange des Sommersemesters sind die beiden Lehramtscandidaten Wilh. Biehl und Fried. Brandscheid, die bisher zur Aushilfe am Gymnasium waren verwendet worden, durch höhere Verfügung aus dieser Stellung herausgetreten, und da durch die gleichzeitige Entfernung dieser beiden Lehrkräfte das Personal nicht ausreichte, so wurde fast zu derselben Zeit der Collaborator Herr Vogler vom Gymnasium zu Wiesbaden an das hiesige versetzt und unter dem 12. Juni 1855, bis wohin sich seine Uebersiedelung hierher durch Familienverhältnisse verzögert hatte, in seine neue Dienststellung eingeführt. Ueber den Bildungsgang des Herrn Vogler und seine dienstlichen Verhältnisse vor seiner Versetzung nach Hadamar ist in dem Programme des Gymnasiums zu Wiesbaden vom Jahr 1845 Seite 24 das Nähere enthalten.

Eine erhebliche Störung erlitt der Unterrichtscursus des Wintersemesters 1855 — 56 durch die Versetzung des Herrn Professor C. Müller, welcher durch Regierungsrescript vom 10. Januar 1856 ad Num. Reg. 1440 zur Versehung des Referates in Schulsachen, vorerst provisorisch, nach Wiesbaden berufen worden war. Er schloß seinen Unterricht am Gymnasium den 12. Januar l. J. und wurde seine Stelle von da an vorläufig durch die übrigen Lehrer versehen, bis Höheren Ortes eine Aushilfe verliehen wurde in der Person des für die höheren Realwissenschaften geprüften Herrn Candidaten Georg Krebs, welcher den 24. Januar dahier eintraf, und mit dem 28. Januar l. J. den Unterricht des geschiedenen Lehrers wieder aufnahm.

Fast gleichzeitig mit dieser Besetzung wurde der vormalige Seminardirector Herr Bellinger durch S. Hoheit den Herzog rehabilitirt und zum Professor am Gymnasium zu Hadamar ernannt. Der betreffende Erlaß Herzogl. Landesregierung ist vom 28. Januar 1856 ad Num. Reg. 4035. Herr Prof. Bellinger traf am 8. Februar 1856 hier ein, und wurde am 11. d. Mts. in seine neue Dienstthätigkeit eingeführt.

Die übrigen Lehrer sind dieselben geblieben, wie sie S. 28 des vorjährigen Programms verzeichnet worden sind, und erhellt ihre besondere Thätigkeit beim Unterrichte aus der unter B. Nro. 2 in diesen Nachrichten aufgeführten Uebersicht. Diese war leider bei zwei Lehrern der Anstalt wesentlich unterbrochen. Der evangelische Religionslehrer Herr Pfarrer Schellenberg war als Mitglied der Deputirtenversammlung seinem Amte am Gymnasium entzogen vom 26. April bis 18. Mai, und wieder von da ab bis zum 28. Juli 1855, mit Ausnahme von sechs Schultagen, an denen er besonders hierhergekommen war. Der Gymnasialzeichenlehrer Herr Maler Diefenbach, als Reconvalescent nach einer bedeutenden Krankheit, und darauf beurlaubt im Interesse seiner Kunst, fehlte am Gymnasium vom 3. Mai bis zum 8. August 1856. Keiner von diesen beiden Unterrichtsgegenständen konnte anderweitig versehen werden, und cessirte mithin ganz.

B. Unterricht.
1) Allgemeine Bemerkungen.

Die im vorjährigen Programme des Gymnasiums von Hadamar S. 28 berichtete Revision

des allgemeinen Gymnasial-Lehrplanes von 1846 erhielt durch Regiminalrescript vom 2. März 1855 einen weitern Zusatz, der auf die organische Gestaltung des Unterrichtsplanes von wesentlichem Einflusse ist, und in dem jetzt schließenden Schuljahre zum ersten Male seine Anwendung fand. Es sollen nämlich nach diesem Erlasse von Ostern 1855 an die drei humanistischen Gymnasien Hadamar, Weilburg und Wiesbaden statt 8 nur 7 Klassen haben, welche, unter der Bezeichnung von Septima aufwärts bis Prima, den Unterricht zur Vorbereitung für die Universität von dem Uebertritte aus der Elementarschule bis zu dieser ertheilen.

Die 5 untern Klassen, Septima bis Tertia, haben einen einjährigen, die beiden obern, Secunda und Prima, einen zweijährigen Lehrcursus.

Die neue Secunda wird für das Einführungsjahr aus den Schülern der bisherigen Tertia und Secunda gebildet. In dieser combinirten Secunda, worin die Erreichung des Klassenzieles auf 2 Jahre gesetzt ist, sollen indessen ausgezeichnete Schüler, denen die Absolvirung des Lehrpensums in kürzerer Zeit gelingt, auch innerhalb dieses Zeitraums, am Schlusse des ersten Jahres, ausnahmsweise nach Prima aufsteigen können, wenn sie nach dem wohlerwogenen und strengen Urtheile der betreffenden Lehrer dazu befähigt sind, gleichwie auch die Zulassung ausgezeichneter Primaner innerhalb des zweijährigen Primacursus zur Maturitätsprüfung in Geltung bleibt.

Sollte diese combinirte Secunda die Zahl von 40 Klassenschülern erreichen oder übersteigen, so kann ein Antrag auf Parallel-Cursus von Seiten der Gymnasialdirection gestellt werden.

Der gesammte Unterricht soll auch bei dieser neuen Vertheilung in dem Lehrplane vom Jahr 1846 und der dazu gehörigen Verfügung vom 17. März 1854 sein Regulativ haben, und soll jede Abweichung davon in einem wohlerwogenen und wohlbegründeten Antrage bei hoher Stelle ihre Erledigung finden; wobei der Erfahrung überlassen bleibt, ob und inwiefern das für die bisherige Tertia und Secunda gestellte Klassenziel auch in diesem combinirten Cursus zu erreichen, und ob namentlich der nunmehr in die Mitte des zweijährigen Cursus für Secunda fallende Beginn des durch den Lehrplan von 1846 festgesetzten obersten Gymnasialcursus aufrecht zu erhalten sei.

Die Stundenzahl der bisherigen Secunda bleibt auch für die combinirte Klasse, nur wird der Unterricht in Geschichte, Arithmetik und Geometrie in jedem Jahrescursus besonders ertheilt. In wiefern dieses für den mathematischen Unterricht nothwendig bleibe, oder unter bestimmten Modificationen des Unterrichtsplanes nicht auch hier eine Zusammenlegung der beiden Jahreskurse zulässig sei, soll nach einer spätern Verfügung der Behörde vom 14. August 1855 von den betreffenden Fachlehrern begutachtet werden.

Nach dem Vorstehenden wird sich nun der Gesammtplan für den Unterricht auf folgende Weise gestalten:

Gegenstände.	Kl. VII.	VI.	V.	IV.	III.	a II.	b	I.
1) Religionslehre	2	2	2	2	2	2		2
2) Deutsch	4	3	2	2	2	2		3
3) Lateinisch	9	9	9	9	10	10		8
4) Griechisch	—	—	—	5	6	6		6
5) Französisch	—	—	4	3	3	3		2
6) Geschichte	2	2	2	2	3	3	3	3
7) Geographie	3	3	3	2	—	—	—	—
8) Arithmetik	3	3	2	2	2	2	2	1
9) Geometrie	—	2	2	2	2	2	2	1
10) Naturwissenschaft	2	2	2	2	2	2		2
11) Hodegetik	—	—	—	—	—	—		1
12) Schreiben	3	2	2	—	—	—		—
13) Zeichnen	2	2	2	2	—	—		—
14) Gesang	2⌒	⌒2	1⌒	⌒1	1⌒	⌒1	—	—
Wöchentliche Stundenzahl	32	32	33	34	33	33	32	29
15) Hebräisch	—	—	—	—	—	2	2	2
16) Englisch	—	—	—	—	2	2	2	2

Außer den bei der Secunda bezeichneten Combinationen in den verschiedenen Lehrgegenständen, mit Ausnahme der Geschichte und der Mathematik, traten deren noch ein bei der Religionslehre, dem Gesangunterrichte und den facultativen Fächern der hebräischen und englischen Sprache, welche letztere sich auch ausnahmsweise auf Schüler der IV. Klasse erstrecken kann. Hierüber, wie über das Ganze dieser Vertheilung geben die Bemerkungen im Programm des Gymnasiums von 1854 S. 29 die nöthigen Aufschlüsse.

2) Uebersicht der behandelten Lehrgegenstände.

A. Sprachunterricht.

1) Deutsche Sprache.

VII. Kl. Lesen und Erklären pros. und poet. Lesestücke aus Kehrein's Lesebuch I. Thl. 3. A. Einübung der Declinationen und Conjugationen; orthographische und Declamirübungen. 4 St. Dr. Deutschmann.

VI. Kl. Pros. und poet. Stücke aus Kehrein's Lesebuch I. gelesen, erklärt und zur Entwicklung des einfachen Satzes, sowie einfacher Satzverbindungen benutzt; orthograph. Uebungen, kleine Aufsätze, Memorir- und Declamirübungen. 3 St. Conrector Bill.

V. Kl. Einfacher Satz und Satzverbindungen; Lesen und Erklären pros. und poet. Musterstücke in Kehrein's Lesebuch I; Declamationsübungen, Aufsätze. 2 St. Collaborator Colombel.

IV. Kl. Pros. und poet. Lectüre aus Kehrein's Lesebuch II. Thl.; Poetik (Fabel, Parabel, Paramythie ꝛc.); Wiederholung der Satzlehre, dann Satzgefüge und Periodenbau; Aufsätze und Uebungen im Auffinden und Anordnen des Stoffes. 2 St. Conrector Meister.

III. Kl. Pros. und poet. Lesestücke aus Kehrein's Lesebuch II. Thl. nach Inhalt und mit Hinweisungen auf die Formenlehre und Syntax erklärt; das Nothwendige über deutsche Prosodie, Metrik und Reimlehre; Aufsätze und Declamationsübungen. 2 St. Professor Dr. Sporer.

II. Kl. Wiederholung und tiefere Begründung der Satzlehre mit bes. Rücksicht auf deutsche Interpunction; Stilistik; Uebungen im Disponiren, freie Ausarbeitungen und Uebersetzungen aus dem Lateinischen; Lectüre: einzelne poet. Stücke aus Kehrein's Lesebuch II. Thl. 2 St. — Privatlectüre: Schiller's Wilhelm Tell und Maria Stuart. Professor Schmitt.

I. Kl. Literaturgeschichte: Schluß des 4. Zeitraums (1700 — 1740), 5., 6 u 7. Zeitraum bis auf die neuere Zeit, mit ausgewählten Proben, (Hüppe, Gesch. der deutschen Nationall.); Lectüre: Pyrker's Tunisias, Lessing's Nathan, Göthe's Iphigenie. Schriftliche Arbeiten* mit Rücksicht auf Stilistik und Rhetorik, unter Benutzung von Kehrein's Entwürfen zu deutschen Aufsätzen. 3 St. Privatlektüre: Schiller's Maria Stuart und Wallenstein, Scenen aus den Nibelungen nach Kehrein's Auswahl. Meister.

* Themata: 1) Der Stolz ißt zu Mittag mit der Pracht und zu Abend mit der Verachtung (J Paul). 2) Ueber den Einfluß des Reisens auf unsere Bildung (Dispositionsübung). 3) Versuch einer Charakterentwickelung Leicester's in Schiller's Maria Stuart. 4) Metrische Uebersetzung von Hor. Od. III, 13. 5) Ueber die Nachtheile von Uebersetzungen der Klassiker in den Händen der Schüler. 6) Lobrede auf Columbus. 7) An der Sprache erkennt man den Menschen. 8) Ueber die Uebel in der Welt (mit Bezug auf Haller's Lehrgedicht: Ueber den Ursprung der Uebel). 9) Begriff, Eintheilung und wesentliche Eigenschaften des Dramas. 10) Ueber den Monat December. 11) Die Sturm- und Drangperiode der deutschen Literatur. 12) Die Genügsamkeit, Ode im sapphischen Maße. 13) Geringes ist die Wiege des Großen. 14) Gehorsam gegen die Obrigkeit.

2) Französische Sprache.

V. Kl. Lesen, Decliniren, Conjugiren; Hauptregeln der Grammatik in einfachen Sätzen, nach dem eigenen Elementarbuche bis zum 8. Abschnitte; Anfänge im Uebersetzen, Exercitien. 4 St.

IV. Kl. Grammatik nach Knebel bis §. 59, Aufgaben und Exercitien aus Höchsten's Uebungen; Lectüre: Lesebuch von Lüdecking, I. Theil bis Seite 45; Sprechübungen. 3 St.

III. Kl. Wiederholung der Grammatik und Fortsetzung bis zu §. 109; gelesen aus Valentin, Abrégé de l'Hist. des Crois. bis zum 9. Kap.; aus der Abeille du Parnasse einzelne Stücke; Sprechübungen, Exercitien wie in Kl. IV. 3 St.

II. Kl. Aufgaben und Exercitien aus den „Aufgaben zum französ. Antibarbarus"; Ueberblicke der Vers- und Rhythmuslehre mit einigen Uebungen; aus Schütz Lesebuch für höhere Klassen gelesen bis S. 44; Memorir- und Sprechübungen. 3 St.

I. Kl. Schriftliche Uebungen zu Hause und in der Klasse nach den eigenen „Materialien"; gelesen: Athalie von Racine, César von Voltaire, Cinna v. P. Corneille; französ. Literaturgeschichte bis zum 18. Jahrh. 2 St. Auß. Professor Barbieux.

3) Lateinische Sprache.

VII. Kl. (Grammatik von Siberti-Meiring v. VII — III, von Zumpt v. III — I). Die regelmäßige Formenlehre; Memoriren der Vocabeln in den 13 ersten Kapiteln von Spieß Uebungsbuch 1. Abth.; Uebersetzung und theilweises Memoriren der Uebungsstücke in dems. Buche; wöchentliche Exercitien. 9 St. Dr. Deutschmann.

VI. Kl. (Spieß, Uebungsbuch 2. Abth.). Wiederholung der regelm. Formenlehre; die defectiven und anomalen Verben; Uebersetzung und zum Theil Memoriren der meisten Uebungsstücke in Spieß zur Einübung der Regeln; Exercitien. 6 St. Bill. — Gebrauch der Conjunktionen und Einübung der Participialconstruktionen durch Erklärung und mündliche Uebersetzung der einschlagenden Uebungsstücke in Spieß Uebungsbuch Abtheilung I & II. 3 St. Schmitt.

V. Kl. (Spieß, Uebungsb. 3. Abth.). Wiederholung der Formenlehre; aus der Syntax: Uebeinstimmung der Satzbestandtheile, Fragesätze, Rection der Casus, Acc. c. inf., Abl. abs.; Uebersetzen und Memoriren der betr. Uebungsstücke in Spieß ꝛc.; häusliche und Schulexercitien. Gelesen: Corn. Nep. Alcibiades, Thrasyb., Conon, Iphicrates, Chabrias, Epaminondas, Pelopidas, Agesilaus, Eumenes, Cato. 9 St. Colombel.

IV. Kl. Repetition der Casuslehre, nach Krebs Anleitung ꝛc.; Gebrauch der Tempora und die wichtigsten Regeln über die Modi. Exercitien zu Hause und in der Klasse, theils nach Dictaten, theils nach Spieß Uebungsb. ür IV. Lectüre: Caes. bell. gall. I & II; Stücke aus Ovid. Metam. und Trist. in Friedemann's Anl. ꝛc. nach und neben dem Unterrichte in der Metrik mit Uebungen in der Umstellung von Versen (Friedemann ꝛc. §. 1 — 13, 16 — 20). 9 St. Meister.

III. Kl. Wiederholung der Casus-, dann die Tempora- und Moduslehre. Exercitien und Stilübungen nach Dictaten und Süpfle, I. Thl. 2. Abth. — Lectüre: Cic. oratt. in Cat. I, pro Arch., Lig., Mil. (letztere theilw.), mit Memorirübungen; ferner in Verbindung mit Theorie und Praxis der Metrik: aus Friedemann's Chrestom. einzelne Stücke (§. 2, 4 und 5). 8 St. Dr. Sporer. — Caes. bell. civ. I, 1 — 24; Livius VII, 29 — 42. 2 St. Vogler.

II. Kl. Tempus- und Moduslehre nach Zumpt's Grammatik. Exercitien im Anschlusse an die Grammatik nach Dictaten, Extemporalien nach Süpfle Aufg. und lat. Stilüb. für die obersten Klassen deutsch. Mittelschulen. Heidelberg 1852. Lectüre: Cic. or. in Q. Caecil. u. in Verr. IV nach der Ausg. v. Halm. 6 St. Schmitt. Sall. Cat. und bell. Jug. 2 St., Virgil. Aen. II & III; Hor. Od. I (fast ganz), II — IV mit Ausw. 2 St. Privatlectüre: Cic. Lael. und Hor. de arte poet. 1 St. Dr. Sporer.

I. Kl. Cic. Tusc. disp. IV zur Einleitung der Privatlectüre der im vorigen Jahre nicht gelesenen Bücher; dann Cic. Epp. (nach der Ausg. von Dietsch, Leipzig 1854. I. Thl. zur Hälfte. 2 St — Tac. Ann. 1 & 2 (Letzteres zum Theil), Ausgabe von Halm. 2 St. — Virg. Eclog. und Georg., Ausgabe von Ladewig, von Letzterem das I. Buch ganz, die übrigen in gewählten Theilen, mit Herstellung des Zusammenhangs durch Inhaltsangabe. 2 St. — Exercitien, Extemporalien und freie Aufsätze in Verb. mit Gramm. und Stilistik, von ersteren jede Woche je 1, abwechselnd alle 4 Wochen mit einem in der Classe, ausnahmsweise zu Hause gefertigter Aufsatze.* 2 St. — Memorir- u. Sprechübungen mit der Lectüre verbunden. — Privatlectüre: Cic. Tusc. IV & V, Quinct. X. Director Kreizner.

*Die dazu gegebenen Themata waren: 1) Quae carmina composuisse existimetur Virgilius, in quo quodque eorum genus versetur argumento, quo exemplo quaque arte usus sit poeta exponatur. 2) Demosthenis Or. Olynth. I per partes explicetur. 3) Oratt. Olynthiacae quibus in rebus versantur et quomodo inter se cohaerent? 4) Loci Virgiliani Georg. II, 174 cet.

„. . . . . . tibi res antiquae laudis et artis
Ingredior, sanctos ausus recludere fontes
Ascraeumque cano Romana per oppida carmen."

sensus explicetur. 5) Germanicus silvam Teutoburgensem ingressus ad Varianam cladem ulciscendam milites suos exhortatur. 6) Demosthenes quid efficere voluit oratione Olynth. III et qua id potissimum arte consecutus est? — Pecuniae theatralis sive θεωρικῶν χρημάτων ratio quae fuerit apud Athenienses et quid ea fieri voluerit Demosthenes doceatur.

4) Griechische Sprache.

IV. Kl. Die Flexionslehre bis zu den Verbis auf $\mu\iota$, nach Buttmann's Grammatik, mit Uebersetzung der einschlagenden Beispiele aus Halm's griechischem Lesebuch und dessen Elementarbuch der griechischen Etymologie. Exercitien. 5 St. Collaborator Vogler.

III. Kl. Grammatik nach Buttmann: Wiederholung der Formenlehre, dann die Verba auf $\mu\iota$, unregelm. Verba, Präpositionen; Exercitien. Lectüre: Xenoph. Anab. I & II, 1 — 3 (einzelne kleinere Abschnitte memorirt). 4 St. Colombel. — Hom. Odyss. I & II. 2 St. Schmitt.

II. Kl. Gebrauch der Präpositionen nach Halm's Elementarbuch der griech. Etymol. 2. Curs. Mündliche u. schriftliche Uebersetzung der einschlagenden Uebungsstücke. Die Lehre vom Artikel, Rection der Casus nach Halm Elementarbuch der griech. Syntax, I. Curs. und Buttmann's Grammatik. Exercitien. Im Anschlusse an die Lectüre: Die Hauptregeln über die Modi und Tempora. Lectüre: Arrian. Anab. (Ausg. v. Sintenis) II, III und zum Theil IV. 4 St. Schmitt. — Hom. Odyss. IV & VII, Il. I & II. 2 St. Meister. — Privatlectüre: Xenoph. Anab. I & II. Schmitt.

I. Kl. Demosth. oratt. Olynth. tres und or. de Pace, Ausg. von Westermann, zum Theil lateinisch übersetzt. 2. St. Kreizner. — Soph. Aias ganz, Phil. bis v. 390 (Ausgabe von Schneidewin) 2 St. Schmitt. — Tempus- und Moduslehre nach Halm Elementarbuch der griechischen Syntax 2. Theil mit Exerc. und Extemporalien, letztere wöchentlich, erstere alle 14 Tage. 2 St. — Hier wie im Latein. statt der Exercitien zeitweise eine in der Klasse gefertigte Version als Stilprobe u. zur Controle der Selbstthätigkeit der Schüler bei der Vorbereitung auf die Lectüre. Privatlectüre: Unterprima: die in der Klasse nicht gelesenen Bücher der Ilias (IX — XXIV); Oberprima: Herod. I & II (letzteres zum Theil). Kreizner.

5) Hebräische Sprache.

II. Kl. Die Formenlehre bis zu dem Nomen, eingeübt durch Exercitien und Uebersetzen in Brückner's Lesebuch S. 1 — 10. Memoriren von Wörtern. 2 St.

I. Kl. Wiederholung der Formenlehre, besonders der unregelmäßigen Zeitwörter; die wichtigsten Lehren der Syntax bei der Lectüre erläutert; Exercitien. Gelesen: Brückner's Lesebuch einzelne Stücke von Seite 17 — 95 nebst ausgewählten Psalmen. 2 St. Colombel.

6) Englische Sprache.

Unterer Cötus: Munde 1. Cursus bis zu Ende. 2 St.

Oberer Cötus: Munde 1. Cursus wiederholt, 2. Cursus bis zu §. 50. Lectüre: Lesestücke aus Munde und Vicar of Wakefield. 2 St. Barbieux.

B. **Wissenschaftlicher Unterricht.**

1) Religionslehre.

a. Katholische.

VII. & VI. Kl. Anleitung zum ordentlichen Beten und zur rechten Theilnahme am Gottesdienst. — Katechismus: Die Lehre von den Geboten der Kirche und die von der Sünde und der Tugend; die Lehre vom heil. Sacramente der Buße. — Bibl. Geschichte: Neues Testament, Schluß. 2 St.

V. & IV. Kl. Bibl. Geschichte: Repetition des Alten Testaments. — Katechismus: Die Lehre von den Geboten der Kirche; die von der Sünde und der Tugend; die von der Gnade. Einige Predigtaufsätze. 2 St.

In den oberen Klassen wissenschaftliche Darstellung der katholischen Religionslehre, und zwar

a) in geschichtlicher Darlegung.

III. Kl. Die Lehre von den Gnaden und Offenbarungen Gottes vor Christus; die von den Gnaden und Offenbarungen Gottes durch Christus, Anfang. 2 St.

II. Kl. Untere Abtheilung. Die Lehre von den Gnaden und Offenbarungen Gottes durch Christus: die Lehre von der Stiftung der katholischen Kirche. 2 St.

II. Kl. Obere Abtheilung. Die Lehre von der Geschichte der katholischen Kirche. 2 St.

b) in systematischer Darlegung.

I. Kl. Untere Abtheilung. Im Sommer: Die Glaubenslehre der katholischen Kirche mit der in jener wurzelnden Sittenlehre, Anfang. 2 St.

I. Kl. Obere Abtheilung. Im Sommer: Dasselbe, Fortsetzung. 2 St.

I. Kl. vereinigt im Winter: Dasselbe, Fortsetzung. 2 St. Religionsaufsätze in den oberen Klassen.

Privatlectüre für freiwillig sich betheiligende Schüler: Kl. II. Aus Patres Apostolici (ed. Reithmayer, Monach.) 1 St. — Kl. I. Aus S. Aur. Augustini de Civ. Dei (ed. Strange, Col.) 1 St.

Priester Schmelzeis.

b. Evangelische.

VII. u. VI. Kl. Biblische Geschichte des neuen Testaments; das Kirchenjahr; Memoriren von Bibelsprüchen. 2 St.

V. u. IV. Kl. Beendigung der Glaubenslehre nach dem Landeskatechismus; Erklärung einzelner Bibelstellen; Memoriren von Liedern des Gesangbuchs; Kirchengeschichte der ersten Jahrhunderte. 2 St.

III. u. II. Kl. Systematische Darlegung der biblischen Lehre von der Trinität, den Werken Gottes, der Vorsehung, der Sünde und der Erlösung durch Christum. 2 St.

I. Kl. Ausgewählte Abschnitte des alten Testaments und der Brief an die Galater wurden im Urtexte gelesen und erklärt. 2 St. Pfarrer Schellenberg.

2) Mathematik.

a. Arithmetik.

VII. Kl. Das Zehnersystem, die vier Grundrechnungsarten in reinen und angewandten ganzen Zahlen; die Lehre von den gemeinen Brüchen (nach Diesterweg's und Häuser's pract. Rechenbuche). 3 St.

VI. Kl. Wiederholung und Erweiterung der Bruchlehre; die 4 Species in gleich und ungleich benannten gebrochenen Zahlen, der Zwei- und Kettensatz, Verhältnißbestimmungen. 3 St. Hilfslehrer Weppelmann.

V. Kl. Wiederholung der gemeinen Brüche; Decimalbrüche, die entgegengesetzten Zahlen, Rechnungen für das Geschäftsleben. 2 St.

IV. Kl. Wiederholungen aus V; die Buchstabenrechnungen; Gleichungen des I. Grades mit einer Unbekannten, Proportionen, Geschäftsrechnungen, Aufgaben. 2 St.

III. Kl. Wiederholungen; Potentiation und Wurzelextraction concreter Zahlen; Gleichungen I. Grades mit 2 u. 3 Unbekannten, allgemeine Potenzenlehre und Wurzelrechnungen; Gleichungen des II. Grades, Aufgaben. 2 St.

II. Kl. Unt. Abth. Wiederholungen; die Logarithmen und Exponentialgleichungen, die Progressionen, Aufgaben. 2 St.

II. Kl. Ob. Abth. Wiederholungen; Progressionen, Zinseszinsen- und Rentenrechnungen, Aufgaben. 2 St.

I. Kl. Die allgemeine Verbindungslehre; das Binom; Aufgaben. 1 St.

Professor Müller bis zum 28. Januar 1856; von da an Candidat Krebs.

b. Geometrie.

VI. Kl. Beschreibung der mathematischen Körper; der Punkt, die Linie, der Winkel und die Fläche. 2 St.

Weppelmann.

V. Kl. Entstehung und Begriff von Linien, Winkeln, Neben- und Scheitelwinkeln, die Parallelen, Identität der Dreiecke, leichtere Aufgaben. 2 St.

IV. Kl. Wiederholungen; Identität der Figuren überhaupt, Aufgaben, Aehnlichkeit der Figuren. 2 St.

III. Kl. Wiederholungen; die Aehnlichkeit der Figuren vollendet, Vergleichung, Verwandlung, Theilung und Berechnung der Figuren, Aufgaben; die Kreislehre begonnen. 2 St.

II. Kl. Unt. Abth. Wiederholungen; die Kreislehre vollendet, Kreisfunctionen und Trigonometrie (unvollendet), Aufgaben. 2 St.

II. Kl. Obere Abtheilung: Die Stereometrie und Vollendung der Trigonometrie; Aufgaben. 2 St.

I. Kl. Analytisch-trigonometrische Aufgaben; der Kreis und die Ellipse als Kegelschnitte betrachtet. 1 St.

Müller; vom 28. Januar an Krebs.

3) Naturwissenschaft.

VII. Kl. (Fürnrohr, Grundzüge der Naturgesch.) Entwicklung der naturgeschichtlichen Grundbegriffe in Verbindung mit Beschreibung instructiver Thierarten. Im Besonderen: die Säugethiere. 2 St.

VI. Kl. Entomologie. Entwicklung der allgem. Merkmale der Klassen und der einzelnen Ordnungen der Insecten durch Beschreibung instructiver Species. Ausführlich: die Käfer; im Winter: die Vögel. 2 St. Meister.

V. Kl. Entwicklung des Linné'schen Pflanzensystems; Bestimmung von Pflanzen; Anleitung zum Selbstbestimmen und zur Anlegung von Herbarien — nach Fürnrohr und Localfloren. Reptilien und Fische. 2 St.

IV. Kl. Botanik wie in V. Insekten nach Fürnrohr. 2 St.

III. Kl. Botanik wie in V und IV mit Hinweisung auf das natürliche System. Allgem. Uebersicht der gesammten Naturwissenschaft, nach Fürnrohr. 2 St.

II. Kl. Physik (nach Greiß): Die Lehre vom Lichte, Magnetismus, Electricität und Galvanismus, an den vorhandenen Apparaten veranschaulicht. 2 St.

I. Kl. Physik: Magnetismus, Electricität und Galvanismus, Hydrostatik und Dinamik fester Körper. 2 St. Bill.

